

DISPUTATIO PHILOSOPHICA
De
ESSENTIIS RE-
RUM ÆTERNIS,

Quam
DEO CLEMENTER ANNUENTE,
ATHENIS LEUCOREIS
SUB PRÆSIDIO
VIRI

Praclarissimi, nec non Doctissimi,
DN. M. JOHANNIS JOACHIMI
ZENTGRAFII,

Argentoratensis,
Præceptoris ac Fautoris sui omni honoris cultu
prosequendi,
Publicæ Eruditorum collationi subjicit

FRANCISCUS Polcke/ Vratisl.
A. & R.

Ad D. V. Septemb. horis matutinis.
Anno M. DC. LXIIX.
IN AUDITORIO VETERI.

WITTEBERGÆ
Typis JOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typogr.

Coll. diss. A
139, 27

a. CXXXIX. 27.

ESSENTIALIS RE.
RIMM VETERNIS
DEO CLEMEN TIB ANNUNTIAT
MATHEUS THEOPHILUS
SIB ERASIDIO
D.N. M. JOHANNIS JOACHIM
ZENTGRAFII
Argentinensis
Piscetoribus in Genua
FRANCISCO FRANKMANN
A. & B.
IN NEAPOLIO VIVENS
VITAE
THEOPHILUS JOACHIM





PROOEMIUM.

Quam difficilis sit ea, quam præ-
senti dissertatione pertractandam in ma-
nus sumpsimus, controversia, facilè exindè co-
gnosci poterit, quod iudicium de eâ in varias
sententias pertraxerit tam veteres ex Schola-
sticis, *Albertum, Henricum, Capreolum, Sco-*
tum, aliosqve : quam recentiores *Fonsecam, Franciscum Sua-*
rezium, Gabrielem Vasquezium, Arriagam &c. undè à
benevolo Lectore eò promptiorem nobis pollicemur veniam, si
in ejus enodatione aliquid humani nobis accidisse depre-
henderit!

§. I. Cæterùm eò accuratiùs quæstionem, an *Essentia re-*
rum sint aeterna? tractaturi, varias vocum acceptiones dabimus.
I. ergo notandum, *Essentia* vocabulum significare rationem En-
tis, seu id, per quod aliquid id est, quod est; seu per quod ali-
quid in esse suo intrinsecè, adæquatè, primò & per se constitui-
tur, ut sine eo, id quod est, esse nequeat. Exprimitur hæc defi-
nitione, si rei quædam accurata dari potest, per genus & diffe-
rentiam specificam, v. c. *animal rationale est hominis essentia.*
Hoc enim, quod voces hæ important, significat id, quod homi-
nis essentiam constituit. Tolle enim animalitatem, & non e-
rit Homo, aufer rationalitatem, & habebis pro vero homine

Ens rationis. Hæc *essentia* significatur apud *Armanã. de Bello Vis.* tract. 2. qv. 43. dupliciter, Vel per nomen *concretum*, & ut quod est v. gr. si dico, Homo: vel per *abstractum*, & ut quo est, e. gr. si dico, humanitas; unde & à nonnullis *essentia rei tota*, *Forma* appellatur, conf. *Paul. Soncin. 7. Metaph. qv. 37. add. Fonsec. lib 5. Metaph. cap. 4. qv. 1. sect. 3.* Solet aliàs ab *Aristotele* lib. 5. *Metaph. text. 5.* vocari *natura*: item *Terminus*, *Substantiã* & *quidditas rei* lib. 5. *Metaph. text. 22.*

§. 2. II. Notandum *Essentiam hanc* non uno spectari modo, pro cuius rei diversitate diversa quoq; postmodum admittit prædicata, ita ut quod hoc modo Enti repugnat, illo deinde eodem enuncari queat. Spectari potest vel *in se præcisè*, prout ab esse actuali & ab esse possibili abstrahit; Vel prout est *actu extra causas*; vel prout est *in causis* & *possibilibus*; vel *objectivè*, prout est potentia circa eam occupatæ objectum; vel *logicè*, prout certa exprimitur propositione, v. c. quando dico, Homo est animal rationale.

§. 3. III. Notandum *eternum* dici (1) de eo, quod, licet non ita diu duret, attamen tamdiu, quamdiu ipsum subiectum integrum manet, v. gr. *Servitus* ejus, qui mancipium est apud Tartaros, vel Turcas, dicitur æterna, nam durat tamdiu, usque dum ipse fato fungatur. conf. *Schebler. Metaph. lib. 1. cap. 16. Tit. 4. Artic. 1.* [2] dicitur id *eternum*, quod per longum temporis intervallum & multa secula durat, quamvis nec initio, nec fine careat. *Sicut enim quod difficillimum est, solet dici impossibile, & quod est ingentis magnitudinis, solet dici immensum aut infinitum: ita quod longissimè durat vocari solet æternum, Dionys. (cit. Suarez. Tom. 2. p. 637. col. 2. lit. B.) cap. 10. de div. nominib.* Referri huc potest ea acceptio, quæ *eternum* & pro eo ponitur, quod ægrè destrui potest, & sic quam diutissimè durat. Sic usurpavit *Statius* de basi *Colossæ Domitiani* lib. 1. *Sylva.*

teneat quamvis æterna crepido
Quæ superingesti portaret culmina montu.

(3) Solet vocari id *æternum*, quod à parte post nullum agnoscit terminum

termi-

terminum, ita anima rationalis, itemq; Angelus potest vocari
æternus. Sed hæ significaciones minùs propriæ sunt; undè. (4)
illi attribuitur *æternitas*, quod durationis suæ neq; initium neq;
finè agnoscit, idq; secundū nōnullos *Scholasticos*, vel ex intrinsecâ
necessitate, quo sensu solus Deus æternus est; quia ille solus est
incapax termini, & in suâ intrinsecâ ratione infinitatem in du-
rando includit; vel ab extrinsecò, sine necessitate, ex libertate
causæ volentis illud ex æternitate efficere, conf. *Svarez.* Disput.
Metaph. 20. sect. 6. n. 5. *Slevogt.* pag. 163. § 16. quod posterius
tamen à nobis pro falso habetur. (5) *æ* æternum est affectio
propositionis; & sic vocatur illa propositio æterna, quæ perpe-
tuò vera est, fuit & erit, hoc est, quando in logicis dicitur, dari
propositiones aliquas, quæ sint æternæ veritatis, quæ alicui rei
ita inest, ut ipsi necessariò & semper competat, ut plerumq;
sunt propria quarti modi, e. gr. Homini natura competit, ut sit
particeps rationis, Cani possibilitas latrandi, Equo hin-
niendi.

§. 4. Hisce ita præmissis positis aliquot conclusionibus,
quid de quæstione mihi videatur exponam. I. ergo dico: *Es-*
sentia rerum non sunt æternæ, duratione in se præcisè, prout ab esse
actuali & possibili abstrahunt, spectata. Probatur (1) Cui enim
nulla duratio competit, illud etiam nequit esse æternum, quia
negato genere, negatur etiam species. At Essentiis rerum in
se præcisè spectatis nulla competit duratio. Ergò nequeunt e-
tiam esse æternæ. Minor probatur, quia essentiæ ita præcisè
sumtæ, prout ab esse actuali & possibili abstrahunt, nullam ha-
bent existentiam, quod exinde patet, quia existentia non compe-
tit nisi Enti actuali: est enim modus, secundum quem res intrin-
secè intelligitur constituta extra causas, id verò, quod abstrahit
ab esse actuali, non est sub hac ratione actu. Cum verò duratio
à parte rei ab existentia non differat, quod à *Svarez.* prolixè pro-
batur *Disp. 5. Met. Sect. 1.* cum notet permanssionem Entis in ex-
istentiâ, vel, uti subtilis *Scalig.* *Exercit. 359. Sect. 7.* loquitur,
continuum essendi tractum, sequitur ob hanc *realem* identitatem,

quod non habet realem existentiam, id etiam nullam duratio-
nem habere possit. (2) Sententia illa, quæ rei in se præcisè spe-
ctatæ, prout à singularibus abstracta est, durationem aliquam &
consequenter æternitatem tribuit, vicina est opinioni *Platonis*,
quam ei *Aristotel.* lib. 1. & 7. *Metaph.* & lib. 1. *Ethic.* cap. 6. tri-
buit. Dicitur enim *Plato* statuisse Ideas, h. e. res à singularibus
abstractas, quarum essentia in species & individua multiplicabi-
lis; licet multi ab hujus figmenti monstro *Philosophum* liberare
conentur, qui *Aristotelem* etiam tanquam ingratum discipulum,
quod Præceptori contra mentem affingat opiniones, reprehendunt,
vid. *Scipio Agnell.* libr. 1. de *Id. Tale* in lib. 1. *Ethic.* Quicquid tamen
sit de mente *divini Philosophi*, ipsa certè, quæ ei tribuitur, satis
absurda est sententia. Dum enim finguntur existere, necessa-
riò debent esse singulares ideæ, quia existentia non est, nisi sin-
gularium, per hanc enim aliquid ad *hoc, hic & nunc*, singularis
conditiones, juxta *Aristotel.* lib. 1. poster. *Analytic.* cap. 24. de-
terminatur. *Constituere*, inquit *Andr. Heerboord.* Vol. 2. *Disp.*
37. §. 6. *naturas universales separatas à singularibus, contra om-
nem sanam est rationem: ubi enim hæ ab æterno extra DEUM de-
lituerunt? ubi essentia ista æterna morata sunt extra DEUM? non
in aliquo mundi angulo, quia mundus ab æterno non fuit, & ante
creationem ejus nihil fuit præter DEUM.* Undè, quando essentia
finguntur habere durationem æternam, & consequenter exi-
stentiam, illas necessariò singulares & actu esse conceden-
dum est.

§. 5. Statuerunt equidem nonnulli secundum *Petr. à S.*
Joseph. *Met.* lib. 2. cap. 2. artic. 1. *essentiam habere proprium quod-
dam esse actuale, seclus à existentiâ, seu etsi actu non existat, nimi-
rum antequam actu existere incipiat, & postquam desijt existere, v.
c. dici posse reperiri in rerum naturâ esse actuale essentia hominis
nondum geniti, illudq; esse permanere etiam post mortem talis homi-
nis, adeò ut ipsius essentia sit semper & invariabiliter, idq; ab æterno,
& omninò independentem à DEO; & Scot. in 1. dist. 36. apud *Sua-
rez.* *disp.* 31. l. 2. n. 2. impugnat hoc nomine *Henricum*, quod statue-*

sic

sit essentias rerū ex se habere quoddam esse essentia, quod vocat esse
 reale, eternum & improductum conveniens creaturis independenter,
 à Deo, quodq; in eis supponitur, non solum ante efficientiam, sed e-
 tiam ante scientiam Dei. Conf. etiam Fons. Comm. in Met.
 Arist. l. 5. c. 5. q. 1. s. 4. Ab hac sententia & modo loquendi Capreol.
 in 2. dist. 1. q. 2. a. 3. non multum abire Suarez. l. c. quidem tra-
 dit, bene tamen verba ejus in subsequētib; interpretari cona-
 tur. Quidquid tamen sit de mente Capreoli, ipsa sane, quam
 fovere nonnullis videtur sentētia, satis inepta est, ut ex modo di-
 ctis constat. Implicat enim esse actuale quid, & tamen actu
 non existere, sive actu entitativo destitui. Absurdum etiam est,
 dici aliquid præter DEUM, quod in rerum naturā esse actuale
 & Entitatem actualem habet, esse à DEO independens, cum cer-
 tum sit omne id, & sic omnem essentiam, quæ non est ipse DEUS,
 ab hoc tanquam causā primā dependere. Præterea, quæ ratio
 est Petr. à S. Joseph. loc. cit. p. m. 129. Sequeretur nihil à DEO
 creari posse: siquidem creari est produci è nihilo, ; at nihil produ-
 ceretur in tempore è nihilo, si essentia, cujusq; rei jam actu esset ab æ-
 terno; unde etiam sequeretur nihil posse in nihilum redigi, quia post
 rei destructionem illa maneret tota illius essentia. Confirmatur,
 nam illud non creatur, quod sit ex presupposito subjecto, neq; illud
 annihilatur, quo destructo illius subjectum remanet; ergo à fortiori,
 si tota essentia præcedit rei productionem, & illius corruptionem se-
 quitur, nihil dici potest creari, vel annihilari.

§. 6. Dico II. Essentia rerum non sunt æternæ secundum es-
 se actuale. Dupliciter hoc intelligi potest, vel de ipsius mundi,
 & specierum, quoad certa tantum individua, æternitate, vel de
 essentiis omnium individuorum. Sed neutrum admittendum
 est. Non illud, quia mundus non æternus est, id quod ut alias
 mittam rationes, benè ab Isaac. Voss. de Ver. mundi Æt. p. 2. pro-
 bari videtur: *Exese, inquit ille, sunt quadam scopulorum radices,*
stant nihilominus. Quod si ab æterno fuissent, jam quoq; ab æter-
no mari fuissent obruti. Tempus enim si infinitum producat, jam
quoq; infinitum erit terminus rei, qua ab æterno necessariò contigit,
 quam

quam tamen ratio vetet ut terminus statuatur; ubi nullum sit initium. Licet itaq; concedatur, ut vel Annis mille Platonis Oceanus, unam tantum abradet unicam, non tamen efficies, ut scopuli ab æterno non fuerint consumti. Conf. etiam Taurell. de Rer. Ætern. Part. 1. p. 96.

§. 7. De nullâ substantiâ finitâ dici potest, quod ab æterno extiterit. Aut enim (1) facta est & esse suum ab alio accepit, aut non est facta. Si illud, non est æterna, quia aliquid ab æterno produci repugnat, ut infra probabitur; Si hoc, plura Entia increata, à se, infinita & independentia erunt, quod absurdum. Figmentum ergo luxuriantis rationis est ὕλη ἡσθα θεῶν συνυπαρχου, quam Platonem, Pythagoram, Aristotelem & Stoicos statuisse, Theodoret. serm. 4. ad Græc. inf. tradit. Valeat etiam Paracelsus, quem permagni cuiusdam mysterij increati, in quo res actu confuse per creationem tantum separate fuerint, Auctorem faciunt; quæ nugæ sponte suâ concidunt. (2) Multarum Specierum individua naturaliter, imò omnia, corrumpuntur. Ergo neutrum illorum ab æterno fuit. Ratio est hæc, quia esse non potest, ut aliquid ab æterno extiterit & in tempore intereat: quod enim semper fuit, id uti nunquam, ut esset, ita etiam, ut non sit, potentiam nunquam habuit. Nec obstat, rem v. c. angelum, qui in æternum duraturus est, à Deo posse destrui, alia enim est ratio futurorum, alia ratio præteritorum; ejus enim, quod non semper quidem fuit, jam verò ita est, ut etiam in æternum durare possit, fuit aliquando aliqua potentia, non verò ejus, quod semper fuit, ut modo dictum. Vid. Taurell. loc. alleg. p. 105.

§. 8. Non etiam hoc dici potest, omnium scilicet individuorum essentias actu ab æterno extitisse, quia, si darentur essentia individuum, quæ essent ipso actu æternæ, aut essent ipse Deus, aut aliquid extra Deum. Utrumque negatur. Illud per se clarum est; Lumen enim naturæ dicitur, id, quod non est ipse Deus, à Deo distinctum, & ab ipso factum esse, nullumque præter ipsum in totâ rerum naturâ Ens inveniri, quod non sit creatum. Rectè ait

SVA.

Svarez. Disput. 20. sect. 1. §. 21. Repugnat dari plura Entia increata. Et patet hoc, quia nullæ res essent, quæ fuissent à DEO in tempore creatæ, utpotè quæ nec Principium, nec finem haberent. Heerboord. loc. cit. absurditatem ita demonstrat: Si rerum essentia sunt æterna secundum aliquod esse extra DEUM, dabuntur universalis in essendo, & idæ rerum separatarum à singularibus ab æterno, quæ non senescant, nec intereant, nec corrumpantur, quia sunt abstractæ à conditionibus materialibus singularium. Unde, si omnes omnium individuorum essentia essent ab æterno, sequeretur nullum etiam amplius individuum pro generari, quia jam omnia ab æterno extarent. Sed falsum est posterius. Ergo & prius. Major per se suâ Luce radiat. Minorem probo ab experientia quotidiana, quia quotidie contrarium experimur, dum sc. animadvertimus, semper alia atque alia individua omnium ferme Specierum nasci, & alia atque alia interire. Videmus, ait Petr. à S. Joseph. tractat. Physic. lib. 2. cap. 4. Artic. 1. homines, equos, canes, aliâq; animalia, item omnis generis Plantas de novo generari, & post tempus aliquod iterum corrumpi, idq; non solum ratione accidentium, sed verè quod substantiam. Jam verò, si ab æterno essent, utique non opus esset, ut demum nascerentur, quia jamdudum omnia extitissent, neque etiam possent interire, quia de formali veræ æternitatis conceptu hoc est, ut illud, quod debet esse æternum, nullum initium, nullumque finem durationis habeat. Atqui absurdum est dicere, nullorum individuorum essentias interirire. Ergo etiam absurdum erit omnia individua esse ab æterno.

§. 9. Dico III. *Essentia rerum non sunt æterna, quoad possibilitatem ab æterno existendi, ita ut DEUS easdem producere potuerit ab æterno. Ita Gabriel. Vasquez. P. 3. disput. 73. cap. 1. & Hurtad. de Mendoz. disp. Met. 8. sect. 1. interpretantur præsens effectum de esse possibili, quia nimirum essentia rerum perpetuò & necessariò habent esse possibile, & ab æterno non implicat contradictionem ut sint ap. B. Stablium Reg. Philosoph. Part. 1. Disput. 1. Reg. 5. Multum aliàs hæc de re inter se variant Scholasticorum judicia, cæteriç;*

ex Pontificiis Doctoribus. Nos dicimus *nullas rerum essentias ab eterno existere, & à DEO creari potuisse*, id quod patet [1] *ex repugnantia à parte creaturæ*. Quæcunque à se invicem differunt, ut productum & improductum, illa non possunt simul esse ab æterno. Atqui Creatura, ut productum, differt à Creatore, tanquam improducto. Ergo creatura, & Creator non possunt simul esse ab æterno. Majoris connexio intellectu non admodum difficilis est, quod enim est improductum, id nullum sui esse initium & primum momentum agnoscit: quod verò est productum & generatum id esse sui initium habet, & ex non esse ad esse pervenit; jam verò repugnat, id quod ex *non esse* ad *esse* pervenit, esse coæternum & duratione æquale ei, quod non est productum, quod nunquam sub *non esse* fuit, ex quo ad *esse* pervenisset. Minorem esse veram patet ex præcedenti conclusione, ubi demonstratum, non dari plura Entia præter DEUM, quæ sint à se, increata, & independentia. Si ergo talia non dantur, omnes omnium creaturarum essentia erunt ab alio, & consequenter in tempore, non ab æterno creata, quia aliàs essent ipsi Creatori coæternæ, quod implicat. Quemadmodum igitur DEUS non habet potentiam faciendi aliquam creaturam, quæ sit ipsi coequalis, quoad potentiam & immensitatem: ita non facere potest creaturam sibi coequalem ratione æternitatis, quia æternitas, non minùs ac immensitas & potentia, est ipsius attributum, essentiam divinam implicans, eandemque inadæquatè repræsentans. Et sicuti nullum de cæteris suis attributis, quæ ipsi soli conveniunt, communicare potest creaturæ, finita cujus est suppositalitas, ita etiam neque hoc illis communicare potuit.

§. 10. (2) *A naturâ creationis*. Nam ratio formalis creationis hoc includit, ut quicquid creatur, procedat à non esse, seu *ex nihilo*, & ex nullo præjacente Subjecto producat. Argumentor hinc: Quicquid procedit à non esse ad esse, illud non potest esse ab æterno, quia contradictionem involvi, esse aliquid ab æterno, & tamen procedere à non esse ad esse. Patescit hoc ex definitione æternitatis, quandò eam multi Auctores per *duratio-*

nem

nem describunt, uti B. Scheibler, lib. 1. Metaph. cap. 16. Artic. 2. n. 42. quam vocem explicat *Hurtad. de Mendoz. disp. 17. Sect. 1. §. 2. durare*, inquit, *significat perseverare*. Quicquid igitur semper & durat & perseverat, illud nullo modo potest mutari, sed planè est immutabile & interminabile, & consequenter ab æterno. Nunc sublimo, quando aliquid creatur, ibi fit processus à non esse ad esse, & mutatio. Ergo nulla creatura potest esse ab æterno. Benè hinc *Voëtius P. 1. Disp. Sel. p. 987. Creatio est productio rei non esse ad à esse. Concedendum est ergo instans aliquod non tantum naturæ, sed & temporis, quo producta non fuerit.*

§. II. Cæterum, ut nulla creatio, ita quoque nullæ rerum generationes ab æterno esse potuerunt. Conclusio hæc est contra *Javellum*, qui lib. 12. Metaph. qv. 14. p. 713. *generationem & corruptionem ab æterno esse potuisse*, tradit. Absurdè! Nam ad omnem generationem quæ secundum naturæ ordinem fit, requiritur, ut antequam aliquid generetur, id quod hoc debet generare, aliquo temporis intervallo prius existat, & ita ut generatum temporis momento generantibus sit posterius; At quomodo potest id, quod alio tempore est posterius, esse ab æterno. Conf. *Taurell. loc. cit. pag. 170.* Prætereà id, quod sic generatur, incipit esse : est enim generatio mutatio à non esse, non quidem privativo, ut vulgò existimant, sed negativo, ad esse; at id, quod est ab æterno, non potest incipere, undè nec ab æterno generari, quia generatio corporis naturalis ab æterno, cum incipere importet, involvit contradictionem. Nam eo ipso, quo aliquid incipit, amplius non potest esse ab æterno, sed quod generatur, id incipit. Ergo non potest esse ab æterno. Si verò ab æterno generaretur, ab æterno inciperet esse, quod implicat. Prætereà, cum quædam generatio fiat ex conjunctione maris & foeminae, si eadem statuitur esse possibilis ab æterno, tum necesse est ab æterno in eodem conceptibili instanti simul maris & foemine factam fuisse conjunctionem, foetusque conceptionem, foeminam quoque ab æterno oportuisset esse gravidam. At hæc stare nequeunt. Non enim uno momento temporis simul per-

sonæ generantes conjungi, foetusq; concipi potuisset, sed neces-
sario id factum fuisset successivè. At omnis successio repugnat
æternitati. Eleganter loquitur *Petr. à S. Joseph. Phisic. libr. 2.*
cap. 1. Artic. 4. Ens successivum ut sic dicit formaliter prius & po-
sterius: at repugnat esse ab æterno prius & posterius, quia posterius
non tam cito est, quam prius, adeoq; æternum non est. Et paulo post:
In ente successivo est aliqua pars incipiens & aliqua desinens. At re-
pugnat rem desinere ab æterno, quod ante æternitatem fuerit. Quod
si nulla sit Partis desicio, nisi in tempore, sequitur rem successivam per-
manenter existere per totam æternitatẽ, quod planè contradictionem
implicat. Cumq; ipsa nativitas, conceptione, parti-
umq; corporis organici elaboratione itidem, tempore poste-
rior sit, si ab æterno generatio facta fuisse fingitur, necesse est sta-
tui ab æterno, & sic per infinita annorum millia mulierem fuisse
gravidam, quod absurdissimũ. Eleganter Hurtad de Mendoz. Phis.
disp. 18. S. 1. §. 4. Nulla generatio successivè peragi potuit ab æterno:
quia partus esset tempore posterior, quã conceptio: ergo generationes
hominum successivæ non potuerunt esse ab æterno. Contra Javellum
deniq; ad hominem sic argumentamur: Si nulla ab æterno potuit
esse corruptio, etiam nulla potuit esse generatio, id quod Javel-
lus tanquam Peripateticus concedit. Sed verum est prius. Er-
go & posterius. Probatur Antecedens, quia corruptio est pro-
ductio ab esse ad non esse. At quicquid corrumpitur, id ab alio
corrumpitur, quia nihil agit in seipsum. Prætereà nihil po-
test simul esse & non esse, esset verò simul & non esset, si ab æ-
terno corrumperetur, ut vult Javellus. Ergo necesse est, ut mo-
mento temporis non esse sequatur esse: At omnis successio repu-
gnat æternitati.

§. 12. Dico IV. *Essentia rerum sunt æternæ, quoad esse ob-*
jectivum. Probatur: Deus enim ab æterno habuit potentiam in
tempore eas procreandi, & secundum hanc potentiam eas ab æ-
terno cognovit, ut essent possibles futuræ in tempore. Si vero
eas ab æterno cognovit, etiam fuerunt in intellectu divino ab æ-
terno per ideas repræsentatæ, quia nulla cognitio absque obje-
cto

Et illius, quod cognoscitur, esse potest, id quod regulis Logicorum absurdum, immò planè impossibile esse videtur. *Essentis rerum*, ait *Heerboord* Vol. 2. disp. 37. Thes. 2. tribuitur esse possibile æternum, quia ab æterno fuerunt in potentiâ objectivâ & activâ Dei, cui fuerunt objecta, & per quam ad actum sunt traductæ in tempore, & ex statu possibilitatis æternæ translatae in statum actualitatis temporariae. Ergo Deum ab æterno cognoscere oportuit essentias rerum secundum esse objectivum, sicut ab æterno in ipso fuit cognitio. *Schlevogt.* dissert. Academ. disputat. Theoret. 8. §. 12. & 13. Quæmadmodum enim res producendæ sunt in mente fabricatoris, priusquam ab ipso in actum producuntur, e. gr. ædificium in mente architecti: sic quoq; essentiæ rerum in intellectu divino priusquam totum universum fuit productum.

§. 13. Nonnulli ex *Thomistis*, præsertim *Cajetan.* Part. 1. quæst. 14. artic. 5. & alii recentiores, solent *Scotum* accusare alicujus hæreseos, quod essentiis rerum aliquod esse æternum reale attribuerit, sc. esse cognitum in intellectu divino, sive objectivum, quod habeant in DEO, distinctum ab esse DEI. Qui auctores cum hoc de *Scoto* affirmant, putant, *Scotum* per esse cognitum intelligere aliquid, quod realiter distingvatur ab essentiâ divinâ, in quo tamen maximè errant. Nam *hic* suam mentem sæpissimè variis in locis explicat e. gr. in quodlib. quæst. 1. & 14. artic. 2. in 1. dist. 35. §. & dist. 36. §. it. in 2. dist. 1. quæst. 1. artic. 2. quândò negat, illud esse cognitum essentialium in Deo, quod essentiis rerum provenit ab essentiâ divinâ, realiter & ab intrinseco illis inhærere. Undè patet *Scotum* hic loci minimè à nostrâ sententiâ dissentire, sed nobiscum affirmare, essentias rerum esse ab æterno tantùm quoad esse objectivum, sive in ratione objecti, secundum quod ab æterno objectæ fuerunt intellectui divino, in eodemque suum esse habuisse, ita ut species creaturæ expressa in DEO ab æterno existens, quatenus creaturæ illius repræsentativa est, sit ipsa divina essentia. Illa enim creaturæ idea in DEO increata, non creatura est. vid. quid de Ideis in DEO doceant *Scholastici* apud *B. D. Dorsch.* Theol. Zachar. P. 2. disp. 4 §. 16.

Priusquam ergo illas DEUS secundum liberum suæ voluntatis consilium in tempore producat, planè nihil sunt. vid. *Svarez*, Tom. 2. disputat. *Metaph. Disput. 31. sect. 2. §. 1. & 2. pag. 358, & 359.*

§. 14. Deniq; Dico V. *Essentia rerum sunt æternæ, æternitate Logica seu connexionis & attributionis.* Quæcunque enim de aliqua re dicuntur, connectuntur cum eadem vel per se, vel per accidens. Quæ hoc modo connectuntur, illa quæ talia non constituunt propositiones æternæ veritatis: quæ verò connexiones subjecti & prædicati pertinent ad primum & secundum modum dicendi per se, illæ uti sunt necessariæ, ita etiam sunt æternæ. In talibus enim prædicationibus prædicatum ita intrinsecè afficit subjectum, ut hoc non esse possit citra illud prædicatum? vel etiam subjectum ita est de intrinsecâ prædicati ratione & definitione, ut hoc sine illo non esse possit. conf. *Fonsec. Metaph. lib. 5. cap. 5. quæst. 1. sect. 3. Adrian. Heerboord. loc. alleg. Th. 7.* Undè B. *Stahlius* loc. cit. intelligitur, inquit, Axioma hoc, *essentia rerum sunt æternæ, à plerisque de essentia cum eo, cujus est essentia, connexionem, quæ perpetua est.* Undè etiam propositiones, in quibus essentia aut aliquod prædicatum essentiale affirmatur de re, necessariae sunt & æternæ veritatis, ut constat ex 1. *Post. l. 30. & multis aliis locis.* Non ita accidentia. Hæc namq; non habent perpetuam connexionem cum re, cum possint abesse citra ejus corruptionem. 1. *Top. c. 4. 1. Post. t. 52.* Cum enim rerum omnium essentia, in se præcisè spectata, veræ sunt, tales etiam necessariò sunt, quales naturâ suâ esse debent, cumq; consistent in indivisibili, nihil in illis mutari potest. Sicut enim numeris nihil demi, vel addi potest, ut idem maneat numerus: ita ut maneat essentia eadem nihil vel addi, vel demi potest, quod adeò verum est, ut ne DEUS quidem essentias mutari possit, cum contradictionem implicet, aliquid esse lapidem, & tamen Lapidis non habere essentiam: & si DEUS nolens producere hominem, illi tribueret essentiam lapidis, non faceret hominem, sed lapidem
conf

conf. *Mendoz. disp. Metaph. 8. sect. 1.* Cum ergo, si DEUS ab æterno hominem producere & potuisset & voluisset, necessario animal rationale creasset, nec per suam absolutam potentiam eum aliter, quàm talem, creare potuisset, patet, & hominis ab æterno hanc rationem fuisse essentialem; & prædicationem hanc, Homo est animal rationale, quæ humanam exprimit essentiam, veram fuisse, & semper veram mansuram esse, necesse est: Vera enim semper hæc fuit propositio, etsi nullus futurus actu existens Homo. *Essentia enim rerum creatarum, inquit, Fons. Met. lib. 5. c. 5. qv. 1. sect. 3. & proprietates, quæ necessario illorum essentias consequuntur, antecedant naturæ ordine earum existentiam; quippe cum existentia non nisi contingenter rebus creatis conveniat, ut patet ex libr. 4. cap. 2. qv. 4. Igitur prius naturâ, quam res creata existant, conveniunt illis attributa essentialia, & proprietates, quæ consequuntur illarum essentias. Quo fit, ut non sit opus supponere existentiam rerum, ut hujusmodi prædicata de illis verè & absolute affirmantur;*

§. 15. *Immutabilitas hæc & æternitas rationis essentialis ad scientiarum fundamenta pertinet. Cum enim scientiam certum & immutabilem esse oportet, ipsum scibile quoque, quod scientiæ est mensura prius immutabile esse debet. Unde Physica non est scientia corporis naturalis ut existentis, cum etsi nullum existat corpus naturale, quo minus tamen ejus detur scientia simpliciter minimè repugnat. Agit equidem Pneumatica de DEO, qui est Ens singulare & existens, sed ejus existentia & singularitas, cum sit simpliciter immutabilis, æterna, & intellectum reddat *ἀνεπιπέδου*, quod de aliarum rerum existentia & singularitate dici nequit, naturæ scientiæ non adversatur.* Conf. B. *Dannhaw. Syllog. Syllog. 5. Can. 6.*

§. 16. Cæterum, dum ita de propositionibus, quæ sunt *æternæ veritatis* agimus, notandum discrimen aliquod esse apud


Phi-

Philosophos, quod vulgò non attenditur, inter propositiones, quæ sunt *æternæ*, & quæ sunt *perpetuæ veritatis*. *Æternæ veritatis* propositiones sunt, in quibus prædicatum ita necessariò cum subjecto connectitur, ut subjectum sine prædicato nec esse, nec intelligi queat, quales propositiones sunt hæ; Homo est animal rationale, Homo est risibilis. Propositiones verò *perpetuæ veritatis* sunt, in quibus prædicatum equidem de subjecto per aliquam contingentiam dicitur, nec ejus ingreditur rationem, semper tamen, etsi in se contingenter, veræ sunt, quia earum veritas vel jam est facta, vel à Deo ut fiat definita, aut præcognita. v. c. quia Alexander Darium debellavit, in omnem æternitatem vera erit hæc propositio: *Alexander devicit Darium*, cumqve DEUS ejus veritatem ab æterno cognoverit, & decreverit, eadem ab omni æternitate vera fuit. Confer sis *Heerboord*.

loc. cit.

Corollaria.

1. Non repugnat res perfectiores, ac existunt, reddi.
2. Non semper reverà, & in se impossibile est id, quod ratio humana tale judicat.
3. In divinis non potest dici *Filius à Patre dependere*.
4. Non repugnat, *ex quo* sunt omnia, *per eum* etiam omnia posse esse & contra. *contra Smalz*.



Coll. class. H

139, 27